GUILELMUS PERALDUS. HUGO DE SANCTO VICTORE. HUGO DE FOLIETO. SMARAGDUS. PETRUS DAMIANUS

Österreich (?), 1435 Seite 70v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=40507
Copyright: Melk, Benediktinerstift



viii°. Qui me oderunt diligunt mortem. Sicut cor-
pus humanum ex omni parte sensu munitum
est, ne in aliqua parte corporis homo nesci-
us patiatur, sic spiritum sapientia oportet esse munitum, ne
periclitetur. Prov. ii°. Prudentia servabit te. De

C. xv. Consequenter de profectu lectionis.

Agendum est de profectu lectionis. Et notan-
dum quod octo sunt, que multum valere possunt ad hoc
quod aliquis in lectione proficiat. Primum est ut homo bene
vivat. Aug. Errat quisquis veritatem se co-
gnoscere posse putat, si adhuc nequiter vivat.
Eccli. i°. Concupiscens sapientiam serva iusticiam,
et dominus prebebit eam tibi. Eiusdem xxvii°. Vo-
latilia ad sibi similia conveniunt, et veritas
ad eos qui operantur illam revertetur. Apoc. iii°.
Collirio inunge oculos tuos ut videas.
Glo. Collirio oculi ut videamus unguntur,
ad cognoscendam veri luminis claritatem intelle-
ctus nostri aciem meditamento bone operationis
adiuvamus. Qui male vivunt, qui spurcicia
manuum suarum lumen divine sapientie a se pro-
hibent. Secundum est ut oratio lectionem preveniat.
Cum sapientia domini dei sit, non debet aliquis atte-
mptare eam, nec violentia studii irrequisito
deo eam acquirere. Iac. i°. Si quis indiget sa-
pientia, postulet eam a deo. Aug. Oratione me-
lius solvitur quam inquisitione alia. Tertium
est humilitas. Mt. xi°. Revelasti ea parvulis.
Bern. Superbo oculo veritas non videtur. Spe-
cialiter humilitas necessaria est legenti scripturam
sacram propter humilem modum loquendi quem
habet, qui a superbis contempnitur. Aug. Scriptura
sacra invitat omnes humili sermone, quos
non solum manifesta pascit, sed etiam secre-
ta exercet veritate. Idem in li° conf. Insti-
tui animum intendere in scripturis sacris. Sed
michi visa est sacra scriptura indigna, quam
tulliane dignitati compararem. Tumor
enim meus fugiebat modum eius. Illa autem
erat que cresceret cum parvulis, sed ego dedi-
gnabar esse parvulus et turgidus fa-
stu grandis michi videbar. Idem in eodem.
Mira profunditas eloquiorum tuorum, quorum
ecce ante nos superficies blandiens parvu-

lis, sed mira profunditas. Deus meus, mira
profunditas, horror est intendenti in eam.
Quartum est timor domini. Prov. i°. Timor domini prin-
cipium sapientie. Sic ille qui scripturam sacram
legit timorem domini habeat. Facit enim eum decli-
nare a malo, scilicet ab errore, a sciendi pre-
sumptione, a sinistra intentione, et a ne-
gligentia implendi quod legit. Qui enim
timet deum, nichil negligit. Eccli. xiii°. Sa-
piens timet et declinat a malo. Si vero
timor dei desit illi qui scripturam sacram le-
git, id quod legit ad alios refert, nec stu-
det secundum lectionem se dirigere, sed potius alios.
Prudenti verbum domini lucerna est pedibus propriis,
secundum illud Ps. Lucerna pedibus meis verbum
tuum, non dicit alienis. Prov. xv. Vir prudens
dirigit gressus suos, imprudens neglectis
suis dirigit alienos. Quintum est mansue-
tudo, qua auctoritati scripture divine cre-
datur. Aug. secundo li° de doctrina christiana. Ante omnia
opus est dei timore ad cognoscendam eius
voluntatem, deinde mitescere opus est pi-
etate, neque contradicere scripture divine, sive
intellecte si aliqua vicia nostra percutit, si-
ve non intellecte, quasi nos sapere melius et pre-
cipere possemus, sed cogitare potius et credere id
esse melius et verius, quod ibi scriptum est,
etiam si lateat, quam id quod nos per nosmeti-
psos sapere possumus. Idem in eodem.
In omnibus canonicis scripturis timentes deum et
pietate mansueti querunt voluntatem
dei. Sextum est diligentia tam in corre-
ctione librorum quam in indagatione scriptu-
rarum. De primo dicit aug. in libro de doctrina
christiana. Codicibus emendandis primitus de-
bet invigilare solertia eorum, qui scripturas
nosse desiderant. De secundo etiam dicit aug.
in eodem libro. Erit igitur divinarum scri-
pturarum solertissimus indagator, qui primo
totas legerit notasque habuerit, et si nondum
intellectu, iam tamen lectione, dumtaxat eas
que vocantur canonice. Nam ceteras secu-
rius leget fide veritatis instructus. Et in-
fra. In scripturis querentium voluntatem dei
prima observatio est nosse canonicas scripturas.